



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

II. De Furtis minutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

dens ad grauem materiam. Profectò missis, his, aliisque assignatis vtrò quantitibus, non approbo determinatam huiusmodi assignationem; quia pro Regnorum varietate varia est nummorum aestimatio; vnde ex nummorum assignatione non potest generalis certa regula praescribi. Vnde opinor illam quantitatem esse sufficientem ad materiam grauem furti, quæ omnibus consideratis, infert Domino graue damnum, aut notabili priuat utilitate: habita quidem ratione personarum, in ordine ad quas metienda est grauitas, aut leuitas furti iuxta Regnorum consuetudinem, ex qua crescit aut minuitur nummorum aestimatio. Adde illam quantitatem graue damnum inferre, aut notabili priuare utilitate, quæ sufficit ad congruam sustentationem eius cui damnum infertur iuxta status sui qualitatem. v. gr. Diues aureo indiget ad honestum victum; Aureus est respectu illius grauis materia. Eget mediocriis medio aureo; Medius aureus est materia notabilis. Quod si duobus, vel tribus, vel quatuor, vel vno regali indigeret, hæc esset adæquata ad mortale materia. Si verò per accidens quis tam pauper dimidio regali solummodo ad congruum victum indigeat: hæc minima quantitas erit sufficiens materia ad grauitatem furti. Hinc colligo circa Principes etiam seruandam proportionem non considerato quantitatis excessu, sed decentiæ mediocritate: sufficientibus quidem tribus aureis ad Principis mensam; quia solius regiae personæ habenda ratio, non familiaris, cuius sustentationi copia ingens impenditur.

## CAPVT II.

*De Furtis minutis.*

4. **M**inutis Furtis quis notabilem quantitatem surripuit: *quoniam se crimine illigauit?* Si ex intentione procedendi surripuit, in statu mortali est: si ex occasione sine intentione alterius materiae casualiter parua furta committit, non peccat mortaliter, si per magna interualla id accidat, vnde non recordetur facillè furtorum prælapsorum. In praxi quidem securiùs, cum ad notabilem quantitatem peruenit, si aduertat ita rem se habere, peccare mortaliter. Quod si non aduertit quando modica quæque surripuit, salum venialiter deliquit, licet ad magnam quantitatem furta

furta minuta accrescerent : at ad huiusmodi quantitatem perueniens , tenetur aduertens totum restituere , aut illud sanè , quo ex quantitate illa excluso leuem relinquit quantitatem.

5. *Furatur quis minimum animo furandi malus , sed non furatus est : delinquit lethaliter ; Ita planè ; quia eiusdem malitiae est, velle surripere, quàm actu exequi.*

6. *Quid quando à pluribus aliquid aufero ? Maior quantitas requiritur ad graue furtum , quàm cum ab eodem. Imò quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm cum simul ; & quando tempore longo, quàm cum eodem , vel breui ; quia minus quidem infert nocumentum sic auferens : cum ratio maioris aut minoris damni sit spectanda, ad grauem, aut leuem iniuriam.*

7. *Multi simul furantur grauem quantitatem , at singuli modicum quid surripuere : delinquunt ne grauius ? Si communi consilio furati sunt , grauius peccant ; quia per modum vnus aggressi sunt : at si quisque de aliis nesciat, non peccant mortaliter , nec tenentur ad restitutionem sub mortali, sed sub veniali.*

8. *Non quidem illi communi consilio surripuere , sed tamen scit vnusquisque de alijs damnnum inferentibus : delinquunt ne grauius modica surripiendo ? Mortaliter peccant , & tenentur suam partem tantùm restituere ; quia non cooperati sunt illorum acceptioni. At qui fuerunt cooperati surripientes communi consensu, in integrum debent restituere, si alij non restituant portionem suam.*

---

C A P V T III.

*De filio, & uxore, & alijs furantibus.*

9. *Surripere ne possim rem meam, qua iniusto titulo apud alium est ? Delinquis quidem si aliter recuperare possis ; sed tamen ad restitutionem non teneris ; quia tua est.*

10. *Licet ne in graui necessitate aliquid surripere ? Minimè ; quia in huiusmodi necessitate res est aliena , cùm sola extrema rem faciat communem.*

11. *Principis sum creditor , qui ab eo solutionem non possum obtinere : possum ne vectigalia in compensationem defraudare ? Potest : valétque huiusmodi doctrina etiam in censibus, decimis, & alijs iuribus alteri clocatis.*